MEMORABILIA
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN VII

FASCICULUS IV — MENSE IANUARIO 1940

N.S. No 1

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

TYPIS COLLEGII MAXIMI WOODSTOCKIENSIS

1940

No. 1. (Nova Series) Mense ianuario 1940.
Vol. VII—Fasc. IV (Vetus Series)

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

RES ROMANAE

Lapis memorialis Sti. Ignatii. In crypta Basilicae Stae. Mariae Maioris, prope altare in quo S. P. N. Ignatius die 25 dec. 1538 primum sacrum litavit, cura Provinciæ Romanæ lapis memorialis appositus est, hunc titulum referens a P. Rocci compositum:

I H S
In hoc Deiparæ Virginis templo
ad Christi Domini præsepe
quod sacra Palestinæ loca sibi revocabat
Ignatius de Loyola Fundator Soc. Iesu
Sacerdotio auctus Venetiis VIII Kal. Iul. MDXXXVII
post piam et longam præparationem
primum sanctissime litavit
nocte Nativitatis Domini MDXXXVIII

Eius inauguratio futura erat die 30 dec. 1939. Sed ea nocte tam copiosa nive Urbs tota constrata fuerat, ut summo mane iter per eius vias non sine magna difficultate fieri posset. Cærimonia relicta est ad diem alterum ianuarii 1940, quo R. P. Vicarius Missam in eo altari coram Scholasticis Borromæi celebravit et, finito Sacro et hymno Sanctorum Confessorum cantato, praesentibus etiam R. P. Præposito et P. Socio Prov. Romanæ necnon P. Rectore Scholasticatus, lapidi benedixit.

Doctoris Laurea Patri Nostro concessa. Die 13 nov. 1939 Universitas Catholica Statuum Fœderatorum in urbe Washington, cum quinquagesimum vitæ annum celebraret, Patri Nostro Lauream in Legibus (Doctor of Laws) honoris causa contulit. Ita voluerunt externi quoque homines strenuos Patris Nostri labores et devotionem constantem in Societate ad maiorem Dei gloriam regenda remunerari, et duplex eius Iubilæum commemorare. R. P. Zachæus I. Maher, Assistens Americæ, partes Patris Nostri in cærimonia gessit.

RR. PP. Assistentes e Curia belli causa absentes ad tempus. Cum inito bello verendum esset ne tabellariorum commercium abrumperetur, ita ut Superiores cum singulis Provinciis conexionem epistolarem habere non possent, satius visum est nonnullos PP. Assistentes propius ad suos accedere. **R. P. Norbertus de Boynes,** postquam tres menses in Coll. Lavallensi versatus est, Romam rediit cum Socio C. F. Dubrulle die 12 decembris. **R. P. Adelardus Dugré** una cum P. de Boynes usque ad ineuntem novembrem in eadem domo permansit. Tum in Belgium venit, ubi Domus formationis et nova Collegiorum ædificia visit. Die 29 novembris pericula minarum maritimarum nihili faciens, in Angliam se contulit, ubi Roehampton (Manresa House) sedem sibi elegit per aliquot tempus. Die 20 decembris in Hiberniam transiit, ubi per mensem ianuarii mansurus, domos illius Provinciae visitabit. **R. P. Zachaeus Ios. Maher,** post aliquot dies commorationis in Gallia, in Americam iter arripuit, ibique in Noviciatu Poughkeepsie sedem fixit, cui præest antiquus Substitutus Americæ P. J. Killeen.

Collegium Romanum Nostrorum Aedes Borromaeas incolentium et Universitatem Gregorianam frequentantium, tam multis abundat alumnis, ut plures continere nequeat; immo Russipetas in Collegium Russicum mittere debuerit. Numerantur in eo **Philosophi** 23: Romani 21, Neapolitanus 1, Austriacus 1; **Theologi** 83 e 25 Provinciis: Ex Assistentia Italiæ 27, Germaniæ 22, Hispaniæ 3, Angliae 1, Americae 8, Slavica 10, Americae Latinae 12.

Pont. Universitatis Gregorianae numerus auditorum anno 1939-1940: in Fac. Theol. 1128; in Cursu Theol. Sem. 91; in Fac. Iur. Can. 180; in Fac. Phil. 368; in Fac. Hist. Eccl. 42; in Fac. Missiol. 5; in Sch. Sup. Litt. Lat. 4; in Cursu Propædeutico 35. UNIVERSI: 1853.

Pont. Institutum Biblicum numerabat in Urbe die 1 decembris 1939 alumnos 86 e 25 nationibus, quorum hæc erat distributio:

70 auditores ordinarii	33 e Clero sæculari (e 33 diœcesibus)
7 extraordinarii	51 Religiosi (e 26 familiis religiosis)
9 hospites	2 Laici

Pont. Institutum Orientale numerat: Auditores ordinarios 26; extraordinarios 1; Hospites 22.

Laudes tributae periodico "*Orientalia*". Professor Gordon, qui in Universitate Princeton Orientalia docet, scribit ad P. Pohl die 10 novembris: "*Orientalia* est nunc sine dubio periodicum opinionem de rebus semiticis dirigens in toto mundo. Ginsberg (Orientalista quidam Neo-eboracensis) mecum in hac re consentit." Numerus subscriptorum huius periodici, ab Instituto Biblico editi, qui erat 100 anno 1935, crevit ad 160.

Collegium Germanico-Hungaricum magnam sui aedificii transformationem subit. Cum enim novæ amplæque viæ, quæ Urbem in dies pulchriorem reddunt, huius ædificii partem occupaturæ essent, totum dirutum est, ut novum aptiusque fieret in eodem quidem loco, sed tribus optimis viis fere circumdatum: Sti. Nicolai a Tolentino, Reginae Helenae, XXIII Martii. Ita inferiores domus partes mercatoribus locari poterunt, qui locationis pretio alumnorum sustentationem difficili hoc tempore iuvabunt. Interea alumni ædificium incolunt antiquæ Domus Professæ iuxta templum SSmi. Nominis Iesu, quod iam ab anno 1824 ad 1848 incoluerant. Patres autem Biennistae in Universitatem Gregorianam transierunt.

P. Franciscus M. Gaetani Professor Universitarius. Minister Educationis Nationalis Italiæ, Honorabilis Bottai, suum consensum dedit electioni Patris Gaetani (Neapol.) ut cathedram regat Historiae Philosophiae in novo Instituto Superiore Magisterii Feminini pro Monialibus (Facultate Universitaria), sub titulo Bmae. Virginis Mariae in caelum Assumptae.

P. Laurentius Rocci Lexicum graecum in lucem edidit "*Vocabolario Greco-Italiano*", opus vere scientificum, constans 2,074 paginis, pro quo et litteras autographas a Summo Pontifice accepit, et meritis laudibus a Rege-Imperatore et ab eius Gubernii Duce cumulatus est.

PATRUM FRATRUMQUE LABORES BELLI CAUSA EXANTLATI

In Gallia: E Prov. Campaniae iam ab initio belli 240 e Nostris **ad arma vocati sunt**; e Prov. Franciae erant dum haec scribebamus 213; e Prov. Lugdunensi: 216; et e Prov. Tolosana: 112; si omnes simul computamus, circiter 780 Nostrorum e 4 Provinciis Galliæ in castris numerantur. Scholastici et Novicii domus, quas Prov. Campaniae in Belgio (Florennes et Enghien) habebat, relinquerunt in exercitum vel in alias Galliae domus ituri. Pro tota Gallia unicus datur nunc **Iunioratus**, in Yzeure cum circiter 20 Scholasticis; unicus quoque **Theologatus** (Fourvière) cum 80 theologis; et unica **Domus Tertiae Probationis** (Paray-le-Monial) cum 23 Patribus. **Philosophi** in duabus domibus studere pergunt, sed pauci numero: in Collegio Jerseiensi 23 inter quos 9 Galli tantum, in Collegio Valsensi 16. **Novicii** 4 domos incolunt, sed sunt etiam paucissimi.

Collegia plurima vel integra vel ex parte a Gubernio occupata sunt. Conantur autem Superiores studia non abrumpere, tum in propriis Collegiorum ædificiis, tum in aliis angustioribus. In quibusdam abundant alumni, etiam plus solito, ut in Burdigalensi (700), et in Instituto Nannetensi (Nantes), quod alumnos omnes aliunde venientes capere non potest. Cum Professores multi, immo nonnulli Superiores ad castra sint vocati, Patres antiquiores qui in Residentiis versabantur, eorum locum libenter occuparunt.

Alii Patres bene multi Clero sæculari opem ferunt. Nonnulli constituti sunt Professores in magnis Seminariis. Multum autem solliciti sunt Superiores, ne **Opera** pereant, propter absentiam Dirigentium aut Consiliariorum, quibus deficientibus, statim substituti quæruntur.

Sunt hoc tempore plures Patres titulo Capellani militaris præditi, multique alii qui sine hoc titulo eodem munere funguntur. Patres "Actionis Popularis" folium periodicum edunt pro Nostris militiae adscriptis, in quo capita meditationis, nuntii Societatis, instructiones aliquae, excerpta e militum litteris, et similia proponuntur.

In Madecassia (Madagascar), cum Missionarii complures ad arma vocati essent, Minister Coloniarum videns quanti momenti essent sacra eorum ministeria, iussit plerosque eorum in Missione remanere.

In Vice-Provincia Madurensi simile quiddam contigit. Cum enim Missionarii Galli decem arma capere deberent, Minister pro Negotiis Exteris effecit ut Gubernium ab eis vocandis desisteret.

E Proximo Oriente castris addicti fuerant Patres et Fratres plures 50. Sed iam nonnulli eorum ad consueta ministeria redierunt, operaque omnia suum cursum, etsi aliquanto lentiorem, tenere pergunt.

In Prov. Campaniae R. P. Leib, eius Praepositus, Capellanus Crucis Rubeæ in regione Rhemensi, ab Emmo. Cardinali curam accepit recollectiones Sacerdotum stipendia merentium dirigendi. In eadem Provincia, bello non obstante, Noviciatus 13 novis Scholasticis, 4 Coadiutoribus, 4 Postulantibus auctus est.

In Belgio sunt circiter 200 Nostrorum stipendia facientes. Omnes autem Capellani sunt vel infirmarii, ut ceteri Religiosi. Domus multae, quas inter, novum Collegium Antverpiense, Domus Exercitiorum Alkensis, Leodiensis et Lirana, et Collegium Philosophiae NN. in Eegenhoven, a militibus sunt occupatae. Novicii Prov. Meridionalis Truncinium missi sunt, eo quod domus Arlunensis nimis fronti bellico propinqua esset.

In Neerlandia, cum leges Sacerdotibus, Seminaristis et Religiosis multum faveant, omnes a militia liberantur. Aliquot tamen Patres munus Capellani militaris sponte obeunt.

In Anglia Novicii e Roehampton ad Stum. Beunonem missi sunt, unde Tertiatus Rathfarnham in Hiberniam transiit. Universitate Londinense per Angliam dispersa, Nostri studentes e Domo B. Roberti Southwell in Oxonium migrarunt ubi lectiones Universitatis frequentant. Tria Collegia (Liverpolitanum, Loidense et Londinense) in oppida ruralia translata sunt ubi Professores et alumni, in parvos coetus divisi, in domibus privatorum commorantur. Religiosi omnes qui ante primum Septembris 1939 vota nuncupaverant, a servitio militari, tamquam religionis ministri, liberi censentur. Ii qui eo die Novicii erant aut Postulantes, inscribuntur quidem in sectione militari "Reserved Occupation", nec tamen ad arma, nisi in summa necessitate vocabuntur. Superiores promittunt nomina se daturos eorum qui post primum septembris ingressi sunt vel ingredientur et eorum qui statum religiosum deseruerint. Adhuc Capellani militares 13 vocati sunt, quorum maior pars iam in Gallia versatur.

Statim ab initio belli 16 Patres et Fratres **Missionis Poonensis,** qui testimonium nationis Indicæ nondum acquisiverunt, in castra apud Ahmednagar conducti sunt. Excmus. Dnus. Thomas Roberts, S.J., Archiepiscopus Bombayensis strenue pro iis intercessit apud gubernium quod magna benevolentia preces eius accepit. Iam aliquot liberati sunt, et bona spes est fore ut omnes mox ad opera sua regredi possint.

E Domo Hierosolymitana, a Pont. Instituto Biblico dependenti, nuntius venit Patrem Kutsch et Fratrem Coadiutorem Decher, qui belli causa libertate orbati erant, in pervigilia Nativitatis Domini domum regressos esse.

In Missione Salisburiensi nostri Missionarii e Germania oriundi plena libertate gaudere pergunt.

NUNTII E VARIIS PROVINCIIS

Baetica:

Collegium Theologicum Granatense: S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus die festo Sti. Francisci Xaverii concessit ut hoc Collegium inter Theologicas Facultates Societatis adcenseretur, cum iure academicos gradus Nostris conferendi.

Aragoniae:

Palmae, in urbe Balearium principe, pulcherrimum monumentum in honorem Sti. Alfonsi Rodriguez in Collegio Montis Sionis erectum est, in eo ipso cavædio, quod Stus. Ianitor toties ianuam aperiturus traiciebat. Imago sanctum senem refert, dum e sella consurgens exclamat: "Accurro, Domine."

Marylandiae—Neo—Eboracensis:

In inaugurando Monumento Sti. Isaaci Jogues, cura gubernii Status Neo-Eboracensis erecto in ora Lacus George (cui P. Jogues die 30 maii 1646 nomen dederat SSmi. Sacramenti), Dnus. Fridericus Crane, Iudex Tribunalis Appellationis Neo-Eboracensis, Sanctum Christi Apostolum et Martyrem, omnium nomine, laudibus extulit. Qui cum dixisset quantum non modo indigenæ antiqui, sed homines quoque nostri temporis Patri Jogues deberent, adiunxit: "Dum ita Patrem Jogues extollo, sinite me, qui eius fidem non profiteor, vobis in memoriam revocare, quantum regio nostra eius familiae religiosae et Sacerdotibus eius aequalibus debeat. . .Hic vir obtulit quidquid habebat pro fine omnium nobilissimo: pro commodo et pace aliorum hominum ad maiorem Dei gloriam."

Poloniae:

Die 27 decembris P. Felix Lasón, Substitutus Secretarii pro Assistentia Slavica, ad nos rediit e Polonia, ubi condiciones sub omni respectu in dies graviores fiunt. In proximo fasciculo nuntios dabimus ampliores de Nostris in illa regione.

Exercitia Praelatis Proposita:

A die 26 nov. ad 2 dec. 1939 P. Iosephus Filograssi (Prov. Rom.), Decanus Facultatis Theologicæ Pont. Universitatis Gregorianae, in Aedibus Vaticanis Exercitia Spiritualia tradidit Curiae Pontificiæ, ipso Summo Pontifice adstante.

In Abbatia Montis Casini Emmus. Card. Ascalesi, Patriarcha unus, Archiepiscopi tres, Episcopi octo Exercitia Sti. Patris Ignatii sub directione Patris Iosephi de Giovanni (Neap.), Rectoris Seminarii Regionalis Posillipensis, vacarunt.

In feriis aestivis P. Iosephus Khalil, Rector Ghazirensis Seminarii minoris Sti. Maronis (Miss. Prox. Orient.), Exercitia Sti. Patris Nostri tradidit coram Sua Beatitudine Cyrillo IX Mogabgab, Patriarcha Antiocheno Melchitarum, 13 Episcopis et 7 Archimandritis.

NOVI SUPERIORES MAIORES, QUI NUPER MUNUS INIERUNT

Praep. Prov. et Vice-prov.

Angliae: R. P. Franciscus Mangan.—**Australiae:** R. P. Ioannes Meagher.

Baeticae: R. P. Franciscus Cuenca.—**Jugoslaviae:** R. P. Carolus Grimm.

Maryl.-N. E: R. P. Iacobus P. Sweeney.

Maryl.- N.E. Reg. Merid.: R. P. Vincentius L. Keelan.

Veneto-Mediol.: R. P. Ioachimus D. Alberti.

Praep Vice-prov. depend.

Madurensis (Camp.): R. P. Alfredus Bonhoure.—**Peruvianae** (Aragon.): R. P. Stanislaus Ilundain.

Sup. Reg. Missionum

Brokenhill (Pol. Min.): R. P. Ladislaus Zabdyr.—**Gallensis** (Neap.): R. P. Godefridus Giordano.—**Kisantu** (Belg. Sept.): R. P. Iosephus Van Wing.

NUNTII EX MISSIONIBUS

Novi Episcopi et Praefecti Apostolici in Missionibus:

Die 24 februarii 1939 **Excmus. Dnus. Gualterus J. Fitzgerald** (Oregonien.) consecrationem episcopalem accepit in urbe Spokane, ut Coadiutor esset cum iure successionis Excmi. Vicarii Alaskensis, Iosephi R. Crimont. Praefuerat Excmus. Dnus. Fitzgerald Provinciae Oregoniensi, habetque nunc titulum Ecclesiae Timbriadensis.

Die 16 aprilis in eamdem dignitatem evectus est **Excmus. Dnus. Gulielmus A. Rice** (Novae Angliae) in nostro templo Immaculatae Conceptionis urbis Boston. Fuerat hic Pater Rector Domus Probationis Novæ Angliæ, Rector Collegii Baghdadensis, Regens Delegationis Apostolicæ Mesopotamiæ, Kurdistani, et Armeniæ Inferioris, et Administrator Apostolicus Archidioecesis latinae Babylonensis. Nunc autem sub titulo Ecclesiae Rusicadensis, successit Excmo. Dno. Iosepho Murphy (modo defuncto) in Vicariatu Apostolico Belizensi.

Die 29 octobris **Excmus. Dnus. Rochus Agniswami,** olim Superior Residentiæ et Districtus Palamcottensis consecratus est Romæ in templo Sti. Petri ab ipso Summo Pontifice Pio PP. XII, et Diœcesi Kottar in India Meridionali præpositus.

RR. P. Leopoldus Brellinger (Austria), qui Scholasticatui Zikawiensi Rector præfuerat ab anno 1936, renuntiatus est Præfectus Apostolicus novæ Missionis Kinghsiensis, suæ Provinciæ commissæ.

Cum Excmus. Dnus. Iacobus López de Rego, Vicarius Apostolicus Carolinarum Insularum, munere suo provectæ ætatis causa liberatus esset, R. P. Hyginus Berganza, Sup. Reg. Missionis, Administrator Apostolicus nominatus est, et sedem fixit in urbe Tokyo.

Missionum translatio et inauguratio—Novae "Domus Communes."

Missio Gallensis a Provincia Belgica Sept. in Provinciam Neapolitanam die 29 iunii 1939 translata est.

Missio Sinensis in Kinghsien inaugurata est mense maio 1939 et Provinciæ Austriæ attributa, quæ vehementer illam exoptabat. Patres 19, Scholastici 24 et Fratres Coadiutores 6 in ea laborant. Illi ut Superior Regularis præpositus est Præfectus Apostolicus P. Brellinger, quem alibi commemoramus.

Opera Missionum communia declarata. Collegium Maximum Zikawiense et Pekinensis Domus Studiorum S. Natalis Chabanel declarata sunt "Domus Communes" sensu iuridico omnibus Missionibus Sinensibus, pro quarum sociis destinata sunt. Declarata sunt etiam "Communia" omnibus Missionibus Indiae et Ceylonis Seminarium Pontificium Kandyense et periodicum "New Review."

Schola Pekinensis pro futuris nostris Missionariis. Die 19 octobris Superiores Familiarum religiosarum domus gubernantes, in quibus futuri Missionarii linguam sinensem ediscunt, apud Delegatum Apostolicum convenerunt, ut, quemadmodum anno superiore fecerant, seriem conferentiarum pro Missionariis ordinarent. Legatus longam orationem habuit de præstantia Missionum. Dixit se beatum, quod inter varias familias religiosas spiritum collaborationis videret, ita ut aliqui etiam sociis aliarum Congregationum in suas scholas aditum præberent. Multum disciplinam commendavit in his domibus necessariam, et (nomen Iesuitarum prudenter reticens) extulit domum "Chabanel", quod in ea disciplina floreret cum suavitate permixta, ita ut studentibus etiam iustam et necessariam quietem tribueret.

Communitas futura videbatur 66 sociorum, quorum erant 11 Sacerdotes, 45 Scholastici, 1 Coadiutor studio linguae vacans. Alumni primi anni Galli et Hispani nulli sunt, ideo hoc anno non attingitur summa præterita, quæ fuit 75.

Sic accidit ut libera quædam cubicula manerent, quæ ad privatas repetitiones habendas tam sunt necessaria. Ideo studentes 12 aliarum Congregationum ut externi admitti potuerunt: 2 e Congr. Verbi Divini, 5 Lazaristæ Americani, 3 Passionistæ eiusdem gentis, 2 Missionum exterarum Canadensium. Quidam ut scholam "Chabanel" attingant, iter bicyclo 25 temporis punctis conficere de-

bent, et scholam quidem protestantium praetereuntes, quam magno dolore Vicarii Apostolici Pekinensis nonnulli alii religiosi frequentant. Spes est, si nostrae lectiones his religiosis satis fecerint, fore ut multi alii idem exoptent. Dolendum autem quod locus erit nimis angustus, nec aulæ suppetent, ad repetitiones privatas. Esset enim Societatis spiritui valde conveniens hos religiosos omnibus nostris viribus adiuvare.

Patribus Italicis Missionis Parmensis, qui domum emerunt nostrae vicinam, Professor datus est, qui methodum nostram bene cognoscit. Simili modo adiutus est Superior Missionariorum Mediolanensium. Ita fiet domus "Chabanel" centrum e quo novi Professores prodibunt. Antiqui eius alumni conspicui fiunt propter valde manifestam caritatem fraternam et magnam facilitatem, qua cum Missionariis aliarum nationum conveniunt.

Vice-Rector Universitatis publicae Hongkongensis, cum distributioni præmiorum collegii nostri Wa-Yan præfuisset, miras texuit laudes non solum illius Collegii eiusque Professorum, sed generatim de ratione docendi et educandi a Societate semper adhibita. Quæ quidem laudes eo maius pondus habent quod a viro docto et protestantico prolatæ sunt.

Magnis etiam laudibus Missionarios nostros et pias Sorores efferunt duces exercitus iaponensis, qui eorum constantiam mirantur in suis christianis tuendis et iuvandis in tantis belli cladibus.

Caritas Missionis Javensis. Ad annum Iubilarem Societatis Iesu celebrandum, Missio Javensis donum festivum obtulit 3,205 florenorum, pro domo romana SSmi. Nominis Iesu redimenda.

MISSIONARII VICARIATUUM S. I. QUI OCCUBUERUNT VULNERIBIS ACCEPTIS DURANTE BELLO SINO-IAPONENSI (1937-1939).

1. **R. D. Ioachimus King,** 37 annorum, Sacerdos saecularis e Vic. Shanghaiensi, occisus die 16 nov. '37 a militibus iaponensibus, quod defendere voluerit honorem iuvenis Ludimagistræ. Eius cadaver in flammas, quibus templum comburebatur, coniectum est.

2. **R. D. Eutimius Ou,** 52 annorum, Sacerdos saecularis e Vic. Shanghaiensi, occisus in Vic. Nankinensi, sub finem novembris, '37 una cum Catechista et Ludimagistra a militibus iaponensibus.

3. **P. Iosephus Sontag,** 39 annorum, Sacerdos S. I. e Vic. Sienhsiensi, occisus a militibus irregularibus sinensibus die 8 apr. '38, dum communitatem christianam erat visitaturus.

4. **P. Iacobus Soria,** 65 annorum, Sacerdos S. I., antiquus Superior Regularis Vicariatus Ankinensis, occisus a sinensibus in iaponenses impetum facientibus die 12 septembris '38.

5. **P. Aloisius Hermand,** 66 annorum, Sacerdos S. I. e Vic. Shanghaiensi, occisus a latronibus sinensibus aliquot diebus post urbem Haichow a iaponensibus captam 27 apr. '39. Postquam exercitus iaponenses ulterius progrediuntur et magistratus sinenses ab urbe recedunt, latrones sinenses ad prædam descendunt.

6-18. Circa 25 iulii '39, e Seminario Hokiensi Vic. Sienhsiensis, a militibus iaponensibus captivi ducti sunt 3 Sacerdotes S. I. et 2 Fratres Coadiutores S. I. cum 9 Seminaristis et 10 magistris aut famulis, omnes sinenses. Horribili modo dicuntur omnes cruciati fuisse. In ipso ergastulo mortui sunt: **P. Iosephus Siue,** 38 annorum; **P. Ioannes B. Li,** 76 annorum (die 31 iulii); **Fr. Coad. Carolus Wang,** 29 annorum, 9 **Seminaristae** et 10 alii. **P. Stanislaus Tchang,** 66 annorum, die 31 iulii cum superstite Coadiutore e carcere in Seminarium allatus est, ubi post receptam sacram Unctionem eodem die vita cessit.

19. **P. Gregorius Calavia**, 42 annorum, Sacerdos S. I. Wuhuensis, vulneratus est globo aeroplani iaponensis super Residentiam cadente, ineunte augusto '39. Multa ferri fragmenta ex eius corpore educta sunt, unum maxime periculosum ex gutture. Unum remanet prope cor, quod medici nondum ausi sunt extrahere. Pater curatur in Shanghaiensi nosocomio Stae. Mariae. Ineunte decembri spes erat fore ut mox s. Missae Sacrificium iterum celebrare posset.

20. **R. P. Franciscus Lebreton**, 55 annorum, Sacerdos S. I., Superior Orphanotrophii T'ou-sè-Wei prope Shanghai, die 30 aug. '39. Occupatio iaponensis ordinem in universa Sina subvertit, adeo ut talis perturbatio ultimis 60 aut 80 annis visa non fuerit. Homicidia fiunt cotidie, nec ea quisquam punire curat, nisi occisorum cognati id faciant. Horum homicidarum victima fuit P. Lebreton.

21. Die 28 octobris '39 P. Leo Bourassa et FF. Coad. Leo Fontaine et Edgar Gauvin in urbem Süchow ope 'bicycletta' redibant, cum duo Fratres graviter vulnerati sunt a militibus iaponensibus qui eos tamquam laicos sinenses habuerant. Errore cognito Iaponenses optime ambos Fratres curaverunt in proprio nosocomio, sed die 9 novembris **Fr. Gauvin** annorum 30 ibidem mortuus est. Fr. Fontaine vero iam plene a vulneribus convaluit.

22. **Religiosa Praesentandina** sinensis occisa est fragmento globi igniarii cum capta est urbs Anking.

Summa: Occisi a Iaponensibus: 3 Sacerdotes S. I., 2 Sacerdotes saeculares, 9 Seminaristae, 2 FF. Coadiutores, 1 Femina religiosa sinensis. Graviter vulneratus a iaponensibus: 1 Sacerdos S.I.

Occisi a Sinensibus propter perturbationem rerum publicarum: 3 Sacerdotes S.I. Occisi a sinensibus contra iaponenses pugnantibus: 3 Sacerdotes S.I.

Universi: 16 Sinenses, 6 Europaei.

NECROLOGIA

Clariorem sui memoriam morientes reliquerunt:

Die 6 ianuarii 1939 **P. Aloisius Cabral** (Bras. Sept.), de Prov. Lusitana optime meritus, quippe qui eam regeret cum anno 1910 e sua patria a sectariis expulsa est, eique in variis Europae et Americae regionibus perfugium quaesivit. Cum in Brasiliam venisset, clarum sibi nomen fecit ut Superior, Contionator, Scriptor, maxime vero ut Fundator Congregationis Marianæ, quæ tantopere in illa regione postea crevit.

Die 7 febr. **P. Petrus Cusick** (Maryl.-N.E.), qui de SS. Martyribus Americae Septentrionalis optime meritus est, magnum eorum templum exstruens, multaque peregrinorum milia illuc adducens.

Die 20 febr. **P. Fridericus Siedenburg** (Chicag.) rerum socialium et oeconomicarum cognitione et litibus classium sedandis conspicuus. In quo eum eximium prædicarunt ephemerides diversissimarum opinionum, adeo ut folium *Detroit Times* asserere audeat: "Ordo Iesuitarum, qui magnum sibi nomen suis magistris adeptus est, paucos habet, et forte nullum, qui hunc suavem et amabilem oeconomistam antecellat."

Die 13 martii **Excmus. Dnus. Albanus Goodier** (Angliae) qui, cum Archidiœcesim Bombayensem gubernasset, eamque valetudinis causa reliquisset, multum in Anglia, ut Sacerdotum excultor, ut Exercitiorum Director, ut Theologiæ asceticæ et mysticae scriptor et Magister laboravit.

Die 6 apr. **P. Iosephus Pijoán** in urbe Lima, Peruviana (Aragon.). Clarissimus fuit populi et Sacerdotum apostolus, et eucharistici cultus propagator egregius. Excmus. Nuntius Apostolicus in Peruvia in publica oratione dicere non dubitavit: "Paucos se Sacerdotes novisse, qui animum tam sublimem, tam nobilem, tam suæ vocationi deditum possiderent."

Die 16 apr. **P. Gulielmus O'Leary** (Austral.), qui speculam Sydneiensem per annos novem direxit et instrumentum efficacissimum invenit atque construxit ad terræmotus observandos.

Die 7 iun. **P. Aloisius Rodés** (Aragon.), qui ab anno 1920 speculæ Ibericæ in Hispania difficillimis temporibus præfuit. Fuit astronomis omnibus notus et carus propter scientiam, Deo et Fratribus propter eximiam caritatem.

Die 24 sept. **P. Alfonsus Kleiser** (Germ. Sup.), qui ab anno 1918 magno zelo et caritate erga omnes Archivium Societatis Valkenburgense custodierat. Dum iter facit, ut eodem munere Romæ fungatur, Urach in Germania, in oppido suo natali, brevi consistit, cumque hoc die coram Altare per horam cum dimidio genibus flexis orasset, et de SSma. Eucharistia contionatus esset paulo post Sacrum sollemne faciens ictu apopletico correptus sancte decessit.

Die 7 oct. **P. Henricus de Groote** (Belg. Sept.), qui mirifica animi fortitudine et constantia capellanus fuit militaris toto tempore belli mundialis; eoque iterum erumpente, rursus huic muneri se devovit, non obstantibus 76 annis ætatis. Præclara sua virtute meritus erat ut omnibus præmiis bellicis donaretur, utque viri militares et civiles omnium clarissimi eum ad tumulum comitarentur.

Die 3 nov. **P. Herbertus Thurston** (Angliae), qui fere per dimidium sæculum libellum periodicum *The Month* aliaque multa folia periodica eruditissimis commentariis de Historia ecclesiastica, Archaeologia sacra, Liturgia, etc. illustravit. Vel ipsum diarium londinense *The Times* eum magnis laudibus extulit.

Die 10 nov. **P. Ernestus Bóta** (Hung.), operarius indefessus, tum consuetis muneribus exercendis, tum cultu SSmi. Cordis Iesu, Sodalitate Mariana, salute et commodis Ludimagistrorum et Operariorum promovendis. Multum ipse contulit ad domum Congregationum Marianarum construendam et ad Exercitia in pleno secessu in Hungaria restauranda.

In Coll. Max. Cheriensi die 22 nov. **P. Franciscus X. Calcagno** (Taur.), qui ibidem philosophiam et theologiam diu et egregie docuerat et bis illud Collegium rexerat. Totius quoque Provinciæ Praepositus fuit ab anno 1910 ad 1918, ac dein Rector Pont. Universitatis Gregorianae a 1918 ad 1922 et Instructor tertiae probationis Florentiae pro Assistentia Italiae (1922-1924). Congrega-

tionibus Generalibus XXVI et XXVII interfuit. In omnibus muneribus optimum semper se exhibuit religiosum, Societatis filium amantissimum, eximium Superiorem ac Magistrum. Praeter quosdam alios egregios libros asceticos, postremis hisce annis tria edidit volumina de "Ascetica Ignatiana" et textum "Philosophiæ Scholasticæ" præsertim ad usum Seminariorum, qui tanti factus est, ut post solos duos annos iam in 20 Seminariis adhiberetur.

Die 28 nov. **P. Iosephus Pérez del Pulgar** (Tolet.), conditor et professor Instituti Catholici Artium et Industriarum Matritensis (ICAI), qui clarum sibi nomen fecerat rerum physicarum præsertim electricitatis cognitione, cuius rei causa sæpe a Gubernio hispanico in consilium vocatus erat. Finito bello hispanico munus acceperat homines eius causa carcere detentos in bonam frugem reducendi. Quod ille tam alacriter suscepit, ut labori succumberet post brevissimum morbum. Supremus quidem Hispaniæ Gubernator misit statim qui virum tam eximium morti eripere conarentur, sed frustra. Obiit pietate perfusus, suos incarceratos enixe adstantibus commendans.

/2

VITA FUNCTI

a die 1 novembris ad diem 31 decembris 1939

Roma: 11 nov. P. Franciscus Gorla, (46|19), Roma;—25 nov. P. Iosephus Giovannini, (44|15), Arco.

Sicula: 4 nov. P. Ferdinandus Franco, (55|40), Cesarò;—12 nov. P. Nuntius Ferrara, (66|50), Messina.

Taurinensis: 22 nov. P. Franciscus Xav. Calcagno, (72|51), Chieri.

Veneto-Mediol.: 7 nov. C. Martinus Martinelli, (83|51), Modena;—11 dec. P. Carolus Ferrario, (75|40), Tirana

Austriae: 9 nov. P. Carolus Pfistermeister, (75|49), Merano;—26 nov. C. Carolus Burgstaller, (77|46), St. Andrä.

Germ. Inf.: 3 dec. C. Fridericus Vogeno, (78|55), Valkenburg;—19 dec. C. Robertus Bliesing, (67|45), Kopenhagen.

Germ. Orient.; 16 nov. P. Henricus Arndts, (75|55), Hosterwitz.

Germ. Sup.: 20 dec. C. Ioannes Bapt. Brugger, (57|34), Feldkirch.

Hungariae: 26 oct. P. Michael Bugada, (30|4), Puyang (Sinis);—10 nov. P. Ernestus Bóta, (86|54), Budapest.

Neerlandica: 30 dec. P. Henricus van Offeren, (57|33), Maastricht.

Campaniae: 31 iul. P. Iosephus Siué, (38|16), Hokien;—31 iul. C. Carolus Wang, (29|8), Hokien;—11 dec. C. Iosephus Vaubourg, (62|32), Enghien.

Franciae: 16 dec. P. Philippus Callies, (44|27), Dinan.

Lugdunensis: 11 dec. C. Aloisius Dartiguelongue, (86|61), Paray-le-Monial; 12 dec. C. Stephanus Mondange, (74|46), Alger.

Tolosana: 20 nov. C. Leonardus Pascual, (85|66) Toulouse;—17 dec. C. Hadrianus Rossignol, (90|64), Mons;—22 dec. P. Iosephus Mares, (59|41), in Miss. Madur;—28 dec. C. Thomas Diez, (76|52), Mons.

Aragoniae: 25 oct. C. Richardus Sáez, (30|13), Buenos Aires.

Castellana: 9 nov. C. Iosephus I. Gogorza, (74|56), Bilbao;—11 nov. C. Franciscus Zabaleta, (71|53), Loyola;—?? P. Michael Horn, (60|43), Pau.

Legionensis: 22 dec. P. Thomas Fernández, (65|43), Valladolid;—? P. Aurelius Ubierna, (45|29), Kweichih (Sinis).

Toletana: ? oct. P. Secundus Llanos, (36|19), ?;—28 nov. P. Iosephus A. Pérez del Pulgar, (65|51), Madrid;—15 dec. P. Ioannes a Cruz Martínez Gómesz, (41|23), Granada.

Angliae: 3 nov. P. Herbertus Thurston, (83|66), London;—12 dec. P. Ioannes Apel, (79|57), in Miss. Rhodes.;—12 dec. P. Iosephus Reilly, (76|57), Glasgow;—21 dec. P. Ioannes Banffeld, (40|19), Leeds;—28 dec. P. Carolus Bick, (79|61), in Miss. Rhodes.

Belg. Merid.: 9 nov. P. Henricus Josson, (71|54), Vieux-Leuze.

Belg. Sept.: 18 nov. P. Franciscus Daneels, (46|27), Leuven;—30 dec. C. Theophilus Temmerman, (68|41), Lier.

Canadae Infer.: 30 oct. P. Vincentius Beaulieu, (46|25), Sudbury;—9 nov. C. Edgarus Gauvin, (31|11), Süchow.

Chicagiensis: 25 nov. EE. DD. Iosephus Murphy, (82|65), Milwaukee.

Neo-Aurelian.: 9 dec. P. Ioannes Cronin, (67|48), New Orleans.

Nov. Angliae: 17 nov. P. Iacobus V. Kelly, (78|61), Shadowbrook;—23 nov. P. Ioannes D. Butler, (71|52), Cambridge.

Oregon.: 24 dec. C. Eduardus Horwedel, (76|46), Nulato.

Polon. Maior: in mens. sept. C. Franciscus Wawrzyniak, (73|39), Kalisz.

Polon. Minor.: in mens. oct. P. Sebastianus Twardy, (65|45), Nowy Sacz; in mens. oct. C. Stanislaus Zwolski, (32|9), ?.

Argentinensis: 8 oct. Sch. Franciscus Acuña, (24|8), San Miguel.

Chiliensis: 11 dec. P. Eduardus Vicuña, (52|33), Valparaiso.

Colombiana: 4 nov. P. Aloisius Londono, (71|51), Bogotá.

Mexicana: 20 oct. C. Iosephus Iraízos, (76|49), El Paso.

R. I. P.

BREVIORES NUNTII DE QUATTUOR PROVINCIIS GERMANICIS

Austria: Politica rerum eversio mensis martii 1938 magnas huic Provinciæ mutationes attulit. Collegia Kalksburgense et Linciense et Oenipontanus Convictus "Canisianum" (Innsbruck) claudenda fuerunt. Iuvenes exterarum nationum, qui in hoc postremo collegio theologiae operam dabant, in urbe Sion (Helvetiae) perfugium quæsierunt.

Cum Bohemiae regio Sudeten nominata Germaniae adnexa est, crevit Provincia Austriaca tribus domibus: Mariaschein, Duppau et Tetschen, et Sociis 63 (33 PP., 21 Schol., 9 FF. Coad.). Sed iam mense martio 1939 scholæ et convictus Mariaschein et Duppau finem habuerunt. Sunt nunc in Provincia Patres 225, Schol. 130, FF. Coad. 107. Noviciatum adierunt hoc anno 12 candidati. Lex quæ maximam partem iuvenum publicam et communem operam præstare cogit Fratribus nostris adhuc profuisse videtur. Augmentum Coadiutorum minimum est, eo quod plerique iuvenes laboris publici aut militiæ stipendia merentur. Philosophi omnes ad arma vocati sunt. Theologi, postquam Collegium Maximum Oenipontanum sublatum est, Universitatem Vindobonensem frequentant.

Seminarium Duppaviense Archiepiscopale minus cum gymnasio annexo, quod a Nostris dirigebatur, sub finem mensis februarii 1939 Magistratus publici sibi adscripserunt. Usque ad finem anni scholastici licuit cuidam nostrorum Patrum Religionem ibi docere. Nunc nemini iam Nostrorum illuc adire licet. Residentiæ Graz incolæ omnes die 16 nov. in custodiam ducti sunt; qui, quamquam ante Domini Natalitia libertatem receperunt, regionem Steiermark relinquere debuerunt. Domus interim vacua relicta est. Collegium Maximum Oenipontanum cum adiunctis ædificiis die 12 oct. 1939 Nostri deserere et publicis magistratibus cedere compulsi sunt. In Canisiano sedem posuerunt magistratus aerario publico

consulentes. Aliqui Patres in nostra ecclesia in salutem animorum incumbunt. Maior pars ædificii Collegii Kalksburgensis publicis custodibus locata est, in altera adhuc quidam Patres resident, qui in labores apostolicos incumbunt. Convictus Linciensis locatus est militibus. In urbe Mariaschein aliqui Patres spiritualibus ministeriis vacant, præsertim in ecclesia, in quam multi christifideles, Btae. V. Mariæ colendæ causa, peregrinantur. In Salzburg templum nostrum centrum parœciale factum est, ubi Patres cum fructu laborant. In Domo Professa Vindobonensi Nostri munus etiam habent parœciale, quia cura animarum extraordinaria sc. in Congregationibus Marianis, Missionibus popularibus, Exercitiis publicis ubique in Austria magnas difficultates habet.

Germania Inferior.: Circiter 60 Scholastici et Coadiutores tamquam milites aut infirmarii conscripti sunt. Labor in nostris Residentiis consuetus adhuc non est impeditus. Una Residentia in Saarlautern, quod nimis ad primam belli aciem proxima esset, claudenda fuit. Maxima pars Collegii et Convictus Francofurtensis nosocomio reservata est. Potest autem in eo cursus theologicus pro parvo quodam Seminaristarum (17) et Scholasticorum nostrorum (25) coetu continuari. In Valkenburg novum annum scholasticum 71 Theologi inceperunt. Villa Aalbeekensis a die 1 novembris Patribus Lugdunensis Societatis Missionum Africæ locata est. Postquam Collegium Godesbergense Sti. Aloisii sublatum est, unum dumtaxat collegium habet Provincia Hafniæ (Kopenhagen).

Apostolica ministeria non languent. Usque ad initium belli missiones populares quamplurimæ sunt habitæ, bello autem inito ad tempus omnes Missionariorum labores impediti erant. Sed inde a mense octobri multa Exercitiorum circula iuvenibus proponenda fuerunt. Interea etiam Patres invitationes e plurimis locis accipiebant, ut de rebus religionem spectantibus per hebdomadam contionarentur. Spatio duorum mensium 60 eiusmodi "hebdomadae" habitæ sunt. Contionum argumentum in eis fuit "Credo vitam aeternam." Templa Societatis sunt plerumque valde frequentata.

Germania Orientalis: Patres 11 capellani militares nominati sunt, Scholastici et Coadiutores 50 ad arma vocati. Gymnasium Berolinense ab anno scholastico 1940-41 aulas obserare constringitur. Ceteri Patrum labores fere cursum tenent consuetum.

Germania Superior: Ex hac Provincia sunt circiter 90 Scholastici et Coadiutores in exercitu. Reliqui philosophica studia peragere pergunt in Collegio Pullacensi, cuius sola pars meridionalis nobis relicta est. Ibi etiam tertiae probationis annus habetur. Reliqua domus nosocomio reservatur. In Collegio St. Blasien sunt circiter 100 ægroti. In nostro quondam Collegio "Stella Matutina" Feldkirchensi nunc schola Publicæ Oeconomiæ (Reichsfinanzschule) instituta est. Centum discipuli huius instituti usque ad festa Natalitia domum nostram Exercitiorum inhabitabant, sed eam nunc vacuam reliquerunt, ita ut possint iterum cursus Exercitiorum a NN. dari.

Theologi huius Provinciæ qui ad arma vocati non sunt, una cum Austriacis Vindobonae commorantur. Operarii quorum plurimi bello inito omnibus laboribus apostolicis vacui erant, nunc denuo magnum habent laborandi campum. Nequeunt quidem populares Missiones habere, eo quod lux in locis publicis sub noctem belli causa auferatur. Sed multa Exercitiorum curricula, dies recollectionis et religiosas "hebdomadas" dirigunt.